

Plautus, *Amphitryo* 861-872

Meter: *iambic senari*     $\frac{UU}{U}$   $\frac{UU}{UU}$   $\frac{UU}{U}$   $\frac{UU}{UU}$      $\frac{UU}{U}$   $\frac{UU}{UU}$   $\frac{UU}{U}$   $\frac{UU}{UU}$      $\frac{UU}{U}$   $\frac{UU}{UU}$   $U$  —

IU. Ego sum ille Amphitruo, cui | est servos Sosia,

idem Mercurius qui fit, quando commodumst,

in superiore qui | habito cenaculo,

qui interdum fio Iuppiter, quando lubet;

huc autem quom extemplo adventum adporto, ilico    865

Amphitruo fio et vestitum immuto meum.

nunc huc honoris vestri venio gratia,

ne hanc incohātam transigam comoediam;

simul Alcumenaē, quam vir insontem probri

Amphitruo accusat, veni ut auxilium feram:    870

nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,

si id Alcumenas innocentiae expetat.